

ri, inferiori, æquali &c. Secundum vim appetitivam perfectam pacem, & tranquillitatem habuit secundum omnes potentias, ita ut neq; rationi voluntas dissentiret, nec voluntati sensualitas reluctaretur. Per donum nanq; supernaturalæ originalis iustitiæ, ut vult Sco. lib. 2. distin. 20. quod infudit animæ finis vltimus voluntati delectabilior factus est, quocumque alio delectabili, cui delectabiliter inhærere potuit, & sine tristitia, immo delectabiliter se abstrahere à delectabili sensus inferioris. Poterant etiam singulorum sensuum appetitus per singula supernaturalia donasibi infusa delectabiliter parere motioni voluntatis, & delectabiliter auelli à suo proprio delectabili. Ab huiusmodi statu secundum Magistrum distin. 22. transferendus erat homo cum posteritate sine morte, ut dicit Aug. super Gen. ad statum meliorem, vbi æterno, cælestique cibo perfrueretur. Ab huiusmodi statu (vbi fuerat perfecta, & amicissima corporis, & animæ coniunctio, perfecta concordia, nulla rebellio sensualitatis aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, sed plena, & dulcis subiectio inferiorum virium superioribus Pax interna, pax externa, quæ etiam extrinsecus turbari non potuit propter paradisi amenitatem, electorum temperiam, animantium subiectionem, & alimentorum sufficientissimam provisionem) traslat<sup>9</sup> fuisset homo sine morte media in regnum vitæ cælestis. Sed heu per peccatum omnibus his priuatus. Nam gratuitis spoliatus, & in naturalibus grauissimè vulneratus. s. in ingenio, memoria, intellectu, ut dicit Magister dist. 25. 2. li. Spoliatus est gratuitis quia perdidit originalem iustitiam, per quam tota interior tranquillitas fuit violata. Facta est caro effrenis, surrexit omnis rebellio omnium potentiarum, intellectus excecatus, voluntas deprivata, memoria deturbata. Et quid miseriam hominis enarrare volo, cum experientia hæc neminem faciat ignorare? Nam omni pace sublata, quæ in usum hominis creata sunt, quasi pro creato-

ris iniuria pugnant, secundum illud. Armabit creaturam aduersus &c. Sap. 5. immo etiam damnationi perpetuò est additus. Hinc in missa hodie canitur. Circundederunt me gemitus mortis, dolores inferni circumdederunt me &c. Verum ne homo tantis periculis expositus desperationis barathro abforberetur, ostenditur exemplo vinitorum via, qua possit ad vitam, quam amisit, reuerti, & amissam recuperare beatitudinem. Exemplum illud euangelium præfert, cuius initium est. Simile est regnum &c. Pro gratia Aue.

Primò recitabitur euangelium. De hinc ex eo morales eliciuntur doctrinæ Euangelium istud plenum est vberissimis doctrinis, & dogmatibus, omni statui hominum accommodis, & diligenter memorizè commendandis: Tangentur aliquæ breuiter sine diffusa earundem explanatione. Pri<sup>ma</sup>, qua fides in fruitur ac via ad regnum aperitur, hæc est. Non aliter nisi operando secundum fidem rectam, in vinea domini idest vnitæ ecclesiastica, ad regni præmia possumus peruenire. Pater, quia non vocati solum, sed in vinea operantes remunerantur secundum euangelium. Et notãter dicit, in vinea domini, nõ sua, quia frustra mercedem à domino expectat q in dñi vinea nõ laborat immo ociositatis arguitur, q in dñi vinea ingredi tardauerunt Hinc apollolus. Labora sicut bonus miles Christi. Qui certat in agone, non coronabitur nisi qui legitime certauerit. 2. Tim. 2. Per hanc doctrinam tollitur error, & præsumptio quorundam carnalium, & ociosorum hominum, qui in sola fide saluari se putantes, allegant pro se illud Matthei vlt. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Non attendentes q; fides sine operibus mortua est. Hebr. 11. Quod q; fides illa mortua est, quam non comitantur signa ibi sequentia, nec valet ad vitam sine operibus, sed mortua est in semetipsa, ut ait Iacobus. Deniq; nec rectam fidem habet, sed mortuam, qui credit sibi sufficere ad salutem (& hoc pertinaciter) q; fides sine operibus suffi

In qua  
miseriã  
cecidit  
homo.

